

Bibliothèque numérique

medic@

de la Roche, Louis-Joseph - candidat /
Ruffel, Robert-François - président. -
[De ani fistulis]

1750.

*Paris : Typis Delaguetta Regiae
Chirurgorum Academiae
Typographi
Cote : ms 2342, n°6*



6

D. O. M.
POSITIONES ANATOMICÆ
ET
CHIRURGICÆ.

EX ANATOMIA.



UO debiliior partis textura, eò in illà faciliior humorum stasis. Textûs cellularis inertia & laxitate multa foveri mala nemo nescit : Ne mireris ergo quòd intestinum Rectum, Anus, ejusque vicinæ tot morbis infestentur. Argumento est partium illarum expositio Anatomica.

ULTIMUM intestinorum, à fine coli procedens, Rectum appellatur ; quod posterius cum osse sacro & coccige, antè cum vesicæ collo in viris connectitur ; in feminis verò, vaginæ uterique tam firmiter inhæret, ut fibræ unà intricatæ videantur.

RECTI situs in pelvi, & ingens pinguedinis ambientis copia, huic intestino commodissimam tenendis facibus sensim aggestis aream præbent.

CRASSIORIBUS Rectum extruitur membranæ, quarum interiori rugosæ, multis foraminibus & lacunis pertusæ, incumbit nervosa glandulis referta. Fibris carneis validioribus constat tertia : hanc cingit communis Peritonæi membrana, cui substernitur superior pinguedo.



Ad summum coecigis coarctatur intestinum Rectum. Ejus finem claudunt fibræ annulares, quibus cum coeunt muscoli levatores. Fibris annularibus extremis, sphincterem efformantibus, accedit musculus peculiaris, sphincteris cutanei nomine: hic suâ contractione extremitatem intestini in rugosum orificium, Podicem dictum, desinentis, unâ cum sphinctere propriè dicto occludit.

LEVATORUM Ani, in intestinum Rectum utrinquè appellentium, fibræ contractæ, ejus extremitatem dilatando, Podicis seu Ani prolapsui obstant. Sphincteribus verò exitus sæcum impeditur, usquedùm pro voluntatis imperio, tum diaphragmatis tum musculorum abdominalium contractione, resistentia vincatur.

INNUMERIS partes illæ irrigantur vasis. Externa ab hypogastricis procedunt; interna à Mesaraïcis; eaque sibi inoculantur: exindè pathologica veniunt animadversiones. Quis sit, harumce partium consensus cum genitalibus, in utroque sexu, ex Anatomie satis liquet.

EX CHIRURGIA.

INFINITIS propemodùm affectibus lædi possunt Ani, partiumque circumstantium functiones: hæmorrhoidibus, tenesmo, inflammationibus, tumoribus, Ulceribus & Fistulis illas depravari haud prorsus insolitum. De Fistulis acturi, alios affectus consultò omittimus.

FISTULÆ nomine vulgè donantur ulcera quæ Anum, sive partes intestino Recto propinquas devastant: ulcus Podici confine; altum, sinuosum, callosum, & angustiori, ut plurimùm, ore terminatum, jure ac meritò Fistulam dicimus.

Nec à causâ, nec à figurâ tantùm, sed etiam à diverso quo desinunt modo, disparitatem mutuatur Ani Fistulæ. Quæ extus occlusæ Rectum perfodiunt, cæcæ & internæ dicuntur; Quæ illæso intestino intrâ cutem ad Podicis oras perreptant, cæcæ & externæ; si demùm utrinquè patentes, cutem simul & Rectum pertingant, completæ; Aliæ verò incompletæ nuncupantur.

UNICO quædam ductu, aliæ pluribus mæandris instructæ, longè latèque partes depascunt; & ad vesicam, aut ad uterum etiamque ad os sacrum, quandoquè divagantur.

ABSCESsus, Fistularum Ani semper origo, præcipue si puris exitus naturæ soli committatur, siue seriùs artis auxilio concilietur; siue tandem ineptè secentur, vel incautè tractentur suppurata Ani apostemata.

NE abscessum sequatur **Fistula**, ex præcedenti positione concludimus. 1°. Abscessum Ani, etiamsi minor sit puris collectio citò incidendum, & quidem sectionibus tunc non parcendum. 2°. In ipsâ-met apostematis sectione, si Rectum jam à pure denudatum aut erosum dignoscatur, illicò instituendam, sicut & in **Fistulâ**, operationem. 3°. Providendum ne carnes succrescant, nisi vividæ & firmiores, cicatricis solidæ videantur indicia.

IN **Fistulam** exteriorem si ritè immittatur stilus, & digito in Anum intruso sentiat immediatè, **Fistulam** completam esse haud dubium; sin minùs incompletam.

COGNITU difficilior cæca & interna: huic explorandæ stilus inutilis; tumore externo ut plurimum manifestam se præbet, quo presso pus intùs effunditur. Absente tumore, ex pruritu interno, & effluxu purulento, antè aut post alvi exonerationem, pro materiæ sede, hujus **Fistulæ** signum: certissimum verò & indubitatum, si **Fistulæ** orificio turundâ occluso, puris fiat collectio sensibus obvia.

FISTULÆ anfractus serpere, vesicam, vaginam, aut uterum depalsi, ossa carie affici, vasa exedi, denotant purulentæ materiæ copia, color subniger aut cruentus, & dolores versùs partem affectam.

PRO **Fistularum** Ani sede, causis, naturâ, & mæandris, diversa prognosis.

ALTIORIBUS & cancrofis palliativa tantùm curatio competit.

VETUSTIORES, aut quæ fluxui hæmorrhoidali succedunt, per operationem non insanabiles; dum modò humores, ope Fonticuli, in alium locum divertantur.

LIGATURA & **Cauticum** **Fistularum** Ani infida præsidia: certior sectio. Prosperi curationis eventus spes minùs in angusto, si pro re natâ, præmissa fuerint generalia remedia. Alvus, paucis antè sectionem horis exhaustiunda; proximè autem antè operationem urinam emittat æger.

Si lue venerèa, scorbuticà vel alià quâcunque coinquentur humores, usquedùm virus arceatur, sectioni sit mora.

HÆMORRAGIAM, si quæ operationem subsequatur, facillè sistit rectè instituta firmior vulneris deligatio.

LINAMENTIS carptis impleatur vulnus; & toto ferè curationis tempore in intestinum demittatur Turunda, ad digiti figuram primum confecta, sensim minuenda; tum demùm Fasciola lintea, quam vocant Ellychnium.

REMEDIA suppurationi, ulceris deterfioni & conglutinationi promovendis accommodata, linamentis carptis, Turundæ, & Ellychnio superimponantur.

CÆTERIS aliundè paribus, tenuissima, saltem primis diebus, instituenda victûs ratio.

de cambray
Has positiones, DEO JUVANTE, & præside M. ROBERTO, FRANCISCO RUFFEL, Artium & Chirurgiæ Magistro, Pro-Demonstratore Regio, tueri conabitur, LUDOVICUS-JOSEPHUS DE LA ROCHE, Cameracensis, Artium Liberalium Magister.

P A R I S I I S,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

Die lunæ 23^a. Novembris à sesqui-secundâ post meridiem
ad septimam. Anno Domini 1750.

P R O A C T U P U B L I C O.

Typis DELAGUETTE Regiæ Chirurg. Academiae
Typographi 1750.